

1.18.6

*Idem AA. et CC. Tauro et Pollioni.*

Si non transactionis causa, sed indebitam errore facti olei materiam vos Archantico stipulanti dare spondidisse rector animadverterit provinciae, reddito quod debetis residui liberationem condicentes audiet.

*D. V k. Mai. CC. cons.*

[a. 294]

1.18.7

*Idem AA. et CC. Zoe.*

Error facti necdum negotio finito nemini nocet: nam causa decisa velamento tali non instauratur.

*D. VI non. Iul. CC. cons.*

[a. 294]

1.18.8

*Idem AA. et CC. Dionysiae.*

Cum testamentum nullo iure constiterit, ex eius, quae ab intestato successit, professione sola velut ex testamento liberos per errorem profitentis orcinii vel proprii liberti, si non ipsius accessit iudicium, cum errantis voluntas nulla sit, effici non potuerint.

*D. V k. Sept. CC. cons.*

[a. 294]

1.18.9

*Idem AA. et CC. Gaio et Anthemio.*

Non idcirco minus, quod a vobis velut a liberis debitam accepisse pecuniam Samus dicitur, cum nullus sit errantis consensus, movere status quaestionem prohibentur eius heredes.

*D. VI id. Dec. CC. cons.*

[a. 294]

1.18.10

*Idem AA. et CC. Amphiae.*

Cum quis ius ignorans indebitam pecuniam persolverit, cessat repetitio. per ignorantiam enim facti tantum repetitionem indebiti soluti competere tibi notum est.

*D. V k. Ian. CC. cons.*

[a. 294]